

patio, respectu temporalis voluntatis humanæ, quamvis justæ, excedens esse videatur, nisi ille excessus per gratiam Dei suppleatur, ipsis nimirum operibus condignum valorem meriti tribuendo. De aliis autem Patribus et Doctoribus paulo post dicam.

18. *Ad D. Basilium* — Ad Basilium, respondeo in prioribus verbis loqui de iudicio, et misericordia, quæ Deus in hac vita misericordibus exhibet; sic enim ait, *erudiri nos per Scripturas, quemadmodum nec misericordia Dei sine iudicio, nec iudicium sine misericordia fit, quia nostræ infirmitati commensuratur, et benignitatis affectu nos castigat*. Non loquitur ergo de retributione futura, sed de hujus vitæ providentia. Quod si sententia illa referatur etiam ad futuram retributionem, coincidit cum illa generali Theologorum sententia, quod Deus, etiam in puniendis malis et præmiandis justis, misericordiam simul cum justitia servat, quæ multis rationibus vera est, etiam in præmio justorum, etiamsi meritum non excedat, ut satis ex dictis intelligi potest. In ultimis autem verbis, in quibus aperte loquitur de justorum futura retributione, ultimum sensum a nobis expositum aperte indicat. Dicit enim præmium illud non reddi ut operibus debitum, utique ex virtute ipsorum operum, sed ex munificentissima Dei gratia, quæ liberalem promissionem tanti præmii suæ gratiæ adjunxit; illa enim est munificentissima gratia, cui (ut ait) spes justorum de Deo bene merentium innititur. Quæ expositio est facillima, juxta translationem Godofredi Tilmani, quam in nostro latino codice habemus (Antwerp. 1569). Juxta aliam vero translationem, loco illorum verborum: *Non tanquam debitum operibus redditum*, habetur: *Non ob eorum merita factorum*, quæ verba obscuriora sunt, quia non solum debitum vel condignitatem, sed omnino meritum videntur excludere, quod alienum est a veritate, et a doctrina ejusdem Basilii, ut constat ex homilia prima Exameron, et aliis locis. Ideoque illa verba vel trahenda sunt ad eundem sanum sensum, vel potius vitanda sunt, cum in græco exemplari non habeantur.

19. *Ad D. Bernardum in num. 3.* — *Ad Chrysostomum ibidem.* — Bernardus autem secundum et sextum sensum simul videtur amplexus, ut in ultimis verbis declaravit. Nam imprimis quod dixerat, merita hominum non esse talia ut jus tribuant, quod si Deus denegaret, esset injustus, postea per hoc ex-

plicat, quod illa merita sunt dona Dei, quæ nos potius faciunt Deo debitores, quam Deum nobis. Quod totum verum est, si merita illa ex parte nostra, et præcisa promissione divina, attendantur, in quo sensu Bernardus loquitur; secus vero si considerentur ut in divino pacto fundata, ut diximus. Deinde quod dixerat, non posse nos mereri æternam vitam, *nisi gratis detur et illa*, ambiguum est, nam relativum illud, *et illa*, non videtur ad ipsam vitam æternam referendum, sed ad remissionem peccatorum, de qua loqui inceperat, et ita sensus est planus. Nam fatetur Bernardus condigna merita vitæ æternæ, negat autem posse talia merita haberi, nisi gratia gratis data præcesserit, quod certissimum est. Verumtamen, licet relativum *illa*, vitam æternam referat, in eundem sensum revolvitur, et ab eodem Bernardo exponitur per id, quod postea dicit, *ut taceam, quod merita omnia Dei dona sunt*. Nam ratione illorum potest dici ipsa vita æterna gratis dari, quia ipsa merita gratis donantur, ut sæpe cum Augustino diximus. Et hoc modo pertinet illa sententia ad sextum sensum supra positum. In eo vero quod Bernardus addit: *Quid sunt merita omnia ad tantam gloriam*, secundum sensum indicat, et juxta illum est interrogatio illa accipienda. Denique Chrysostomus, in loco citato, non tractat de remuneratione vitæ futuræ, sed de abundantia divini auxilii in præsentis vita, ut ex verbis ipsis manifestum est.

CAPUT XXXII.

AN SIT ALIQUOD MERITUM DE CONGRUO DISTINCTUM A MERITO DE CONDIGNO, QUOD SIT VERUM MERITUM HOMINIS APUD DEUM?

1. *Prima opinio Soti negans.* — *Medina illi adhæret.* — Distinximus in hujus libri initio meritum in duo membra, et hactenus primum, quod de condigno appellatur, prosecutsumus; reliquum est ut de altero membro, quod de congruo vocant, disputemus. Et quoniam aliqui Theologi hoc genus meriti rejicere videntur, inquirendum primo est an sit; postea vero quid sit et quod præmium illi correspondeat declarabimus. Ex Scholasticis igitur, Soto, libro 2 de Natura et gratia, capitulo quarto, ex professo conatur ostendere, in nostris operibus nullum esse meritum de congruo, quod in principio probat de operibus bonis moralibus tantum, et sine

auxilio gratiæ factis. Deinde vero, a § *Sed utrum saltem*, etc., idem tradit de operibus factis ex motione gratiæ. Verum est, ibi obiter admittere meritum de congruo in hominibus justis respectu aliorum, quia justus (inquit) potest mereri alteri primam gratiam de congruo, licet non de condigno; unde quando negat meritum de congruo, vel loquitur de opere quo quis sibi meretur, fortasse ductus hoc argumento, quod, si homo est justus, meretur sibi de condigno et non tantum de congruo; si vero est injustus, etiam sibi non potest de congruo mereri; vel certe solum intendit excludere meritum de congruo ab homine ante justificationem; tamen ea, quæ ad hoc suadendum adducit, si valida sunt, absolute in quocumque, et respectu cujuscumque, meritum de congruo impugnant. Unde etiam Medina 1. 2, quæst. 114, art. 6, absolute dixit hoc meritum de congruo, neque verum, neque proprium esse.

2. *Primum Soti fundamentum*, etc. — Fundamentum quod sæpius Soto repetit, est, quia antiqui Patres, et præsertim Augustinus, nunquam hujusmodi meriti distinctionem tradiderunt, neque aliud agnoverunt meritum, nisi cui merces respondet, quod est tantum meritum de condigno. Unde Augustinus, de Prædestinatione Sanctorum, a principio, ex eo quod in Concilio Palæstino Patres tradiderunt gratiam non secundum merita nostra dari, infert non solum Pelagium, sed etiam Semipelagianos illa sententia fuisse damnatos. Hæc autem illatio non esset bona, si admittenda esset distinctio meriti de condigno vel de congruo, quia sine dubio Pelagius de merito condigni locutus est, et ita de eodem esset illa sententia Concilii intelligenda, et consequenter non recte contra Semipelagianos applicaretur, cum illi de merito imperfecto locuti fuerint, ut in prolegomeno quinto, c. 6, dub. 7, vidimus.

3. *Secundum fundamentum ex eodem Augustino.* — Secundo argumentatur Soto, quia in homine peccatore ante justificationem nullum omnino est meritum, secundum Augustinum; ergo contra ejus doctrinam est attribuere peccatori meritum de congruo, ac proinde distinctio illa supervacanea est, et contra mentem Augustini; imo ad hoc solum videtur inventa, ut Augustini sententia eludatur. Antecedens probat pluribus testimoniis Augustini. Primum est libri tertii Hypognosticæ, capite quinto: *Prævenitur homo medicina, id est, Dei gratia, ut sanetur*. Quæ ver-

ba de gratia sanctificante intelligit, et sensum esse, ante hanc gratiam nullum bonum opus aliquo modo meritorium esse posse. Secundum est in lib. de Correctione et gratia, cap. 4, ubi sic ait: *In bono (utique meritorio) liber esse nullus potest, nisi fuerit liberatus ab eo, qui dixit: Si vos filius liberaverit, vere liberi eritis*; intelligit autem hoc de liberatione a peccato, nam subdit: *Nec ita ut cum quisque fuerit a peccati damnatione liberatus, jam non indigeat sui liberatoris auxilio*, etc. Tertium est in Epist. 106, ubi generaliter ait: *Si aliquid boni operatur homo, ut gratiam mereatur, non ei merces imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum*; et infra: *Si autem credit in eum, qui justificat impium, ut deputetur fides ejus ad justitiam, profecto antequam gratia justificetur, id est, justus efficiatur, impius quid est, nisi impius? quasi dicat in impio nihil meriti præcedere posse*.

4. *Tertio ex ratione.* — *Secunda.* — *Tertia.* — Tertio adhibet rationem, quia qui meretur, acquirit jus ad id quod meretur, et si hoc jus non acquiritur, nullum est meritum; sed jus non acquiritur nisi per meritum de condigno; ergo nullum est etiam meritum, nisi sit de condigno. Item merito respondet præmium debitum; sed id quod tantum est dandum ex aliqua congruitate, non potest vere dici debitum; ergo nec meritum de congruo potest esse verum meritum, nam, eo ipso quod additur *de congruo*, destruitur ratio meriti. Tertio, addi potest, quia Deus non potest fieri debitor ad retribuendum aliquod pro opere, nisi promissio sub conditione operis præcedat; ergo sine hac promissione non potest esse meritum. At vero si talis promissio intercedat, jam debitum est de justitia, et meritum de condigno, quia (inquit Soto) inter nos et Deum nulla est alia justitia vel debitum, nisi lex ipsa Dei, qua firmissime statuit jussa sua implentibus præmium retribuere.

5. *Vera sententia affirmans et communis Theologorum.* — Nihilominus dicendum est dari in hominibus respectu Dei aliquod meritum, quod perfectionem meriti de condigno non attingit, et nihilominus in suo ordine verum est meritum, quod de congruo non immerito appellatur. Hæc est communis sententia Theologorum, et propterea Guillelmus Parisiensis, tractat. de Meritis, in principio, dicit illam esse partitionem Magistrorum; et tractat. de Virtutibus, in capite quod incipit: *Nunc au-*

tem revertetur, non longe a principio, ait esse aliquod meritum, quod non est de condigno, et usualiter de congruo appellatur. Et ita dicta divisione sub eisdem vocibus utuntur omnes antiqui, D. Thomas, dicta quæst. 114, artic. 6 et sequentibus; Altisiodorensis, lib. tertio Summæ, tractat. octavo, capite quinto, quæstione sexta, adjunctis his quæ addit tractat. 16, quæstione secunda et tertia, ubi admittit aliquod meritum, quod non est de condigno, quamvis non appellet illud de congruo, neque illa voce utatur. At vero Alensis, tertia parte, quæstione 61, membro quinto, articulo secundo, admittens divisionem, voces illas confundit, et tertiam inducit. Nam meritum, quod nos vocamus de congruo, ipse interpretativum vocat, et aliud meritum perfectum indifferenter, vel de congruo, vel de condigno nominat. Tamen eadem distinctione et sub illis vocibus utuntur Scholastici in secundo, distinctione 17, ubi specialiter videndus Bonaventura, articulo secundo, quæstione secunda. Item in distinctione 27, ubi specialiter divus Thomas, articulo quarto, ad quartum, et in tertio, dist. quarta, ubi etiam Bonaventura, articulo secundo, quæstione secunda, et in 4, distinet. 14, ubi Scotus specialiter, et in secundo, dist. 28; Abulensis, super Matth., capitulo quinto, quæstione 171, rem quidem docet, cum præter meritum hominis justi ponat etiam meritum peccatoris; Gerson., parte quarta, Alphabet. 10, litter. K, sub eisdem vocibus divisionem tradit; idem etiam Corduba, lib. primo Quæstionar., quæstion. 3, notab. 4, inferius in opinion. quinta, conclus. secunda. Ac denique apud modernos auctores et in Scholis est nunc hæc sententia communiter recepta, quam, ut dixi, nec Soto omnino negat, cum doceat justos posse mereri aliis gratiam de congruo, et non de condigno; an vero possit esse in peccatoribus, pertinet ad conditiones hujus meriti infra tractandas.

6. *Probatur ex Augustino.* — Probatur autem hæc sententia primo, ex mente Augustini, nam, licet non fuerit usus illa voce, *de congruo*, sine dubio rem docuit; nam infra ostendemus posuisse in fide et contritione aliquod meritum remissionis peccatorum, et gratiæ sanctificantis, et ibidem monstrabimus frivolas esse evasiones, quibus Solo utitur ad negandum illam esse Augustini sententiam. At vero meritum illud non potest esse de condigno, juxta superius dicta; ergo erit meritum de

congruo. Secundo, Semipelagiani, tribuentes hominibus meritum initii gratiæ, seu primæ gratiæ auxiliantis, non contendebant de merito de condigno, sed de quocumque etiam minimo et imperfecto, quod Dec saltem occasionem tribuendi gratiam præbeat, ut in dicto prolegomeno quinto visum est; et nihilominus Augustinus non impugnat Semipelagianos, eo quod nullum sit tale meritum, sed eo quod etiam repugnet gratiæ, si solis viribus liberi arbitrii tribuatur, et e contrario admittit illud in actibus ab auxilio gratiæ procedentibus, ut est actus fidei, et similes. Utrumque manifestum est ex libro de Prædestinatione Sanctorum, capitulo secundo, ubi ait: *Quis dicat eum, qui jam cæpit credere, ab eo in quem credidit, nihil mereri?* quod certe non potest de merito de condigno intelligi, quia nec Semipelagiani de illo loquebantur, nec potest tribui peccatori impetranti per fidem, cum tamen in illo etiam locum habeat dicta propositio Augustini, scilicet, credi non posse illum qui credit, ab eo in quem credit, nihil mereri. Quod etiam ipse expresse fatetur Epistol. 105, dicens: *Nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides eam impetrat, neque enim nullum fuit meritum illius, qui dicebat: Deus, propitius esto mihi peccatori;* et Epist. 106: *Si quis (inquit) dicat quod gratiam bene operandi fides mereatur, negare non possumus, imo gratissime confitemur.*

7. *Intentum Augustini contra Semipelagianos.* — Atque ex hoc principio putat Augustinus se concludere contra Semipelagianos, fidem non solum quoad perfectionem, vel augmentum, sed etiam quoad inchoationem et initium, esse donum Dei gratuitum, quia alias, inquit, inciditur in dogma damnatum, scilicet, gratiam secundum merita nostra dari, sicut in dicto cap. 2 argumentatur; nam, si initium fidei est ex nobis, et non ex gratia, fit ut jam merenti cætera dicantur addi retributione divina, ac per hoc gratiam Dei secundum merita nostra dari. Quod argumentum est evidens, si supponatur aliquod meritum de congruo in ipso initio fidei, seu voluntate credendi, et illud non tribuatur gratiæ, prout Semipelagiani sentiebant. At vero supponendo, secundum Catholicam fidem, illud etiam esse donum Dei, cessat objectio, inquit Augustinus, non quia in ipsa fide vel initio ejus non sit aliquod meritum, sed quia illud ipsum meritum non est ex natura, sed ex gratia; et ideo in cap. 3 retractat quod aliquando dixerat, fidem non esse ex gratia, ut fides, ait,

unde incipiunt omnia merita, donum sit Dei, ne gratia non sit gratia, si aliquid eam, propter quod tribuatur, antevenit. Quam sententiam notavit Prosper ad excerpta Genuens., dub. tertio, et in ea est valde notandus ille modus loquendi: *Si aliquid precedat gratiam, propter quod tribuatur;* nam id putatur sufficere ad verum meritum, quod excludat gratiam, si non sit ex gratia, cum tamen sine dubio ad meritum de condigno illud non sufficiat. Et eodem modo argumentatur idem Prosper, c. 6, contra Collator., dicens: *Non potest haberi nullius meriti petentis fides, quærentis pietas, pulsantis instantia.* Et inde concludit, si hæc fiant sine gratia, gratiam non esse gratiam, sed ex meritis dari. Constat autem in illis actibus, qui sæpe antecedunt gratiam sanctificantem, non esse meritum de condigno; ergo loquitur de imperfectiori merito, quod in illis actibus, ut ab auxilio gratiæ procedunt, recognoscit. Atque eodem modo de merito loquuntur imitantes Augustin., Fulgent. in libro de Incarn. et grat., capit. decimo octavo, et Petr. Diacon., in lib. ejusdem tituli, capit. octavo.

8. Non est ergo dubium quin præter meritum perfectum filiorum Dei, quod de condigno vocamus, agnoverint sancti Patres meritum minus perfectum, quod Theologi postea de congruo vocarunt. Hoc autem esse verum meritum ex eorumdem Patrum sententia probatur, quia includit aliquam rationem debiti, quod sufficit ad excludendum liberalem et omnino gratuitam donationem; ergo includit etiam aliquam veram rationem meriti. Probatur consequentia, quia de ratione meriti solum est ut sit opus cui retributio aliquo debito respondeat, ut ex eisdem testimoniis Patrum, et ex argumento quo adversus Semipelagianos utuntur, manifestum est. Idemque probari potest ex illo Pauli ad Romanos 11: *Si ex operibus, jam non est gratia,* nam illud: *Si ex operibus,* idem valet, quod: *Si ex meritis,* et absolute de omnibus meritis, sive perfectis, sive imperfectis, a dictis Patribus intelligitur. Et ideo dixit Augustinus in dicto capitulo secundo, si gratia Dei dicatur dari *secundum merita nostra quolibet modo*, eo ipso non esse gratiam, ubi multum ponderanda est illa particula, *quolibet modo*, addita enim est ad excludendum omne genus meriti, etiam illud, quod fidei Semipelagiani tribuebant. Et rationem declarat his verbis: *Redditur namque hoc modo debita, non donatur gratis, debetur enim credenti,* etc.

9. *Ad primum fundamentum in num. 2.* — Atque ex his facile est ad motiva contrariæ sententiæ respondere. Ad primum enim negamus antiquos Patres, præsertim Augustinum, et qui ejus doctrinam professi sunt, hoc meritum ignorasse, aut nullam ejus mentionem fecisse; contrarium enim ostendimus quoad rem ipsam, nam de voce non contendimus. Unde cum Augustinus definitionem Concilii Palæstini, contra Pelagianos factam, ad confutandos Semipelagianos inducit, non tam argumentatur a merito de condigno ad meritum de congruo, quam explicat definitionem Concilii Palæstini, quod gratia non datur secundum merita, etiamsi facta fuerit contra Pelagium tribuentem meritum de condigno operibus solius liberi arbitrii, non esse fundatam in illa speciali perfectione meriti, sed in absoluta et generali. Unde quod Soto dicit, Patres non agnovisse rationem meriti, ubi non *subsistit ratio debiti et justitiæ*, verum quidem est quoad rationem debiti, non vero quoad alteram particulam *et justitiæ*, illam enim non addunt Patres, quoties loquuntur de merito, ut in dictis locis videri potest. Addo argumentum hoc æque procedere contra eundem Sotum, admittentem meritum de congruo in justis respectu aliorum, tum quia si Patres hoc meritum ignorarunt, non magis respectu sui, quam respectu aliorum illud tacuerunt, tum etiam quia si de ratione omnis meriti est, ut inducat debitum justitiæ, nullum erit meritum in uno justo respectu alterius, quia ibi non intervenit justitiæ debitum, ut supra dictum est.

10. *Ad secundum in num. 3 quantum ad duo priora loca Augustini.* — Ad secundum, respondemus imprimis nunc non tractari in quibus personis possit meritum de congruo inveniri, sed absolute an sit, et ideo, dato antecedente quod hoc meritum in homine peccatore esse non possit, negabitur consequentia, quia, ut subsistat hoc meritum, et divisio supra data, satis est quod vel in homine justo tale meritum inveniri possit. Secundo, respondemus negando assumptum, infra enim ostendemus dari hoc meritum in peccatore, etiam respectu primæ sanctificationis. Neque Augustinus in locis in argumento citatis contrarium sensit, nam negat sine gratia esse posse aliquod meritum, non de sola gratia, quam sanctificantem vocamus, quæ formaliter excludit peccatum, sed absolute de tota gratia, quæ propter sanctificatio-

nem datur, et præcipue de auxiliante loquitur. Id facile constabit attente eadem loca legenti; nam in primo ex libr. 3 Hypognost., cap. 5, postquam dixit: *Prævenitur homo medicina, id est, Christi gratia, ut sanetur*, addit: *Et reparatur in eodem vitata, atque præparetur voluntas, quæ semper indigens adjutorio illuminante, gratia Salvatoris possit tam Deum cognoscere, quam secundum ejus vivere voluntatem.* Illuminatio autem divina gratia auxilians est, quæ sub medicina gratiæ sanantis comprehenditur, quia inchoat sanitatem ab infirmitate bene operandi, ut ad sanitatem a culpa tandem perducatur. Idem facile intelligi potest ex altero loco de Correption. et Grat., capit. primo, nam paulo antea dixerat: *Adjuvat nos ut declinemus a malo, et faciamus bonum, quod nullus potest sine spiritu gratiæ.* Et paulo inferius addit: *Ac per hoc, et desiderare auxilium gratiæ, initium gratiæ est,* et postea subjungit verba in argumento citata, post quæ iterum subdit gratiam remissionis peccatorum non sufficere sine liberatoris auxilio. Unde cum dixit: *Nisi fuerit liberatus ab eo qui dicit: Si vos filius liberavit,* sub liberante gratia non comprehendit tantum eam, quæ a peccato formaliter liberat, sed etiam illam, quæ liberat ab infirmitate pie operandi, et dat vires voluntati, ut ad integram sanitatem se disponat.

11. *Ad locum postremum Augustini in eodem num.* — Denique, ex verbis tertio loco citatis ex Epistola 106, priora contrarium probant, nam in illis docet Augustinus, quocumque modo opus meritorium præcedat gratiam, non imputari secundum gratiam, sed secundum debitum. Loquitur autem Augustinus de bono opere, quod totam gratiam etiam auxiliantem præcedat, et simpliciter de merito sive perfecto sive imperfecto sententiam illam profert. Nam paulo post subdit: *Si quis autem dixerit quod gratiam bene operandi fides mereatur, negare non possumus, imo gratissime constemur, hanc enim fidem volumus habeant, qua impetrent charitatem.* Unde constat loqui de fide, quæ antecedit charitatem; meritum ergo quod illi tribuit, non potest esse de condigno; est ergo de congruo; sed illud ait non repugnare gratiæ, quia ad eam fidem per Dei gratiam pervenitur, unde inferius addit: *Cum fides impetrat justificationem, non gratiam Dei aliquid meriti præcedit humani, sed ipsa gratia meretur augeri, ut aucta mereatur et perfici.* Ubi manifeste sicut negat meritum humanum, quod præcedat

justificationem, ita concedit meritum, ut ita dicam, divinum, id est, ex gratia præcedens, quo scilicet meretur augeri. Ubi non loquitur de augmento intensivo, sed extensivo per additionem, seu multiplicationem novæ gratiæ, quæ dicitur gratia pro gratia; sic enim gratia fidei meretur augeri per gratiam charitatis, seu justificationis, et remissionis peccatorum. Et eodem modo dixit idem Augustinus, dicta Epist. 105: *Si dixerimus fidem præcessisse, in qua esset meritum gratiæ, quid meriti homo habebat ante fidem, ut acciperet fidem?* Et de Corrept. et Grat., capit. 13, illam dicit esse gratiam pro gratia, quæ datur pro his meritis quæ contulit gratia. Et eandem doctrinam habet in libro de Grat. et lib. arb., cap. 8 et 9; et Fulgent., libr. 1 ad Monim., cap. 10.

12. *Ad primam rationem in n. 4.* — Ad primam rationem dici potest primo quod, licet meritum de congruo dicatur esse verum meritum, quia non metaphorice, sed per aliquam proprietatem tale est, nihilominus adeo est imperfectum, ut analogice tantum meritum sit, non quidem analogia quasi extrinseca et metaphorica, sed intrinseca, per imperfectam quamdam meriti participationem, ad eum modum quo accidens dicitur esse analogice ens. Cum eadem ergo proportione loquendum est de jure, quod merito correspondet. Nam jus simpliciter dictum solum dicitur de illo quod ad justitiam spectat, et hoc modo non est de ratione cujuslibet meriti dare jus, sed tantum illius meriti, quod simpliciter tale est, id est, perfecti, et de condigno. At vero latius loquendo de jure pro quacumque actione, seu titulo ad obtinendum aliquid ratione alicujus operis, sic etiam meritum de congruo dici potest dare aliquod jus. Sicut etiam sæpe Augustinus contra Semipelagianos dicit, quod ex tali merito datur, non donari, sed retribui. Imo interdum mercedem vocat id quod sic retribuitur, ut patet ex capit. secundo libri de Prædestinat. Sanctorum. Atque eadem responsio applicanda est ad secundam rationem, nam eadem ratio in debito militat, est enim quoddam debitum rigorosum, et de justitia, quod inducitur per solum meritum de condigno, potest tamen esse aliquod debitum secundum quid, quod, si ex opere nascatur, ad aliquam rationem meriti sufficit; sic enim dispositioni aliquo modo debetur forma, et bono operi debetur laus, de quo plura in sequentibus. Sic etiam patet responsio ad tertiam

rationem. Nam Deus non fit debitor ex justitia, nisi in vi promissionis suæ sub conditione operis condigni seu proportionati; nihilominus tamen secundum quid et imperfecte potest aliis modis fieri debitor, non tam aliis quam sibi et suæ providentiæ. Sicut dicitur quodammodo debere conservationem rebus quas condidit, vel generalem concursum causis quibus virtutem operandi tribuit. Quando ergo hoc genus debiti in operibus hominis fundatur, potest ad meritum de congruo sufficere. Adde insuper interdum posse meritum de congruo supponere promissionem Dei, neque solum promissionem ad debitum ex justitia sufficere, ut in superioribus tactum est, et iterum in sequentibus dicemus.

13. *Divisio meriti ex dictis consurgens stabilitur.* — Atque ex his concludere possumus divisionem illam meriti, in condignum et congruum, sufficientem esse, quia omne meritum vel est perfectum et de justitia, vel ad illam perfectionem non attingit. Prius est meritum de condigno; omne autem aliud est de congruo; est ergo sufficiens divisio. At vero Alexand. Alensis, loco supra citato, addere videtur meritum interpretativum. Verba tamen ejus sunt: *Duplex est meritum, scilicet, meritum interpretativum, et meritum congrui vel condigni.* Cum ergo dicat *duplex*, etc., manifestum est solum intendere bimembrem divisionem tradere. Et ideo dixi supra, in num. 5, videri per interpretativum illud meritum intelligere, quod est de congruo, et exempla quibus postea illud membrum declarat, hunc sensum confirmant. Unde necesse est ut meritum perfectum simul de condigno et de congruo appellet, quia sine dubio in opere, quod condignum est, maxima congruitas et quasi per antonomasiam reperitur. In alio tamen sensu posset dici meritum interpretativum, quod non fundatur in opere ipsius personæ, sed in aliqua ejus qualitate, sicut dicitur persona hominis, vel ingeniosa opera hoc vel illud mereri. Illud autem non est verum meritum, sed metaphoricum, ut in principio hujus materiæ dixi, ideo tale meritum non pertinet ad dictam divisionem, nec ejus membra multiplicat. Aliter vero, D. Bonaventura in 2, distinct. 27, et in 3, distinct. quarta, artic. 2, quæstion. 2, inter illa duo membra ponit meritum digni. Verumtamen in priori loco prius ponit bimembrem divisionem, et postea varios modos meriti de congruo subdistinguit, sub qui-

bus sine dubio comprehendit meritum, quod in posteriori loco vocat *digni*, nam illo modo dicit meruisse Virginem maternitatem Dei, quam de congruo sine dubio meruit. Nam quia meritum de congruo interdum esse potest cum dignitate personæ merentis, et ejus cui meretur, quamvis non omnes aliæ conditiones ad meritum justitiæ requisitæ concurrant, interdum vero esse potest sine tali dignitate, ideo primum vocat meritum congrui digni, ut sic dicam, posterius vocat tantum meritum congrui. Et ita non crescit divisio, et doctrina est vera, si bene explicetur, et applicetur, ut in sequentibus dicam.

CAPUT XXXIII.

QUÆ CONDITIONES AD MERITUM DE CONGRUO NECESSARIÆ SINT VEL SUFFICIENTES EX PARTE IPSIUS ACTUS MERITORII?

1. *Meritum congrui et condigni partim conveniunt.* — Ostendimus esse aliquod meritum de congruo, declarandum consequenter sequitur quid illud sit, quod facile præstabimus, explicando conditiones ejus per quamdam proportionem, vel potius declinationem a perfectione meriti de condigno. In hoc enim hæc duo merita conveniunt, quod utrumque est veluti proprietates quædam operis humani juxta doctrinam D. Thomæ in 1. 2, quæst. 21, art. 3 et 4, ubi sub hac generalitate, et abstracto ab utroque merito, hanc proprietatem actibus humanis attribuit. Et hinc manifestum esse videtur, neque omnes conditiones, requisitas ad meritum de condigno, ad meritum de congruo necessarias esse, neque etiam actum esse posse meritorium de congruo si omnibus illis careat. Prior pars clara est, quia, si actus habet omnes conditiones necessarias ad meritum de condigno, nihil supererit in quo possit ab illo differre, nec ratio reddi cur tale meritum perfectum non sit. Cum ergo meritum de congruo tanquam imperfectum a perfecto differat, non potest omnes ejus conditiones tanquam sibi necessarias postulare. Altera vero pars contraria ratione probatur, quia si actus moralis non habeat saltem aliquas ex conditionibus meriti de condigno, nullam veram rationem meriti participare poterit; unde enim illam habebit? Igitur explicandum est quænam ex conditionibus meriti de condigno ad hoc meritum necessariæ sint vel sufficientes, quod facile expediemus discurrendo per quatuor ca-